

6. Et possessionem civitatis dabitis quinque millia latitudinis, & longitudinis vingtiquinque millia secundum separationem sanctuarij, omni domui Israël.

7. Principi quoque hinc & iude in separationem sanctuarij, & in possessionem civitatis, contra faciem separationis sanctuarij, & contra faciem possessionis urbis: à latere Maris usque ad Mare, & à latere Orientis usque ad Orientem: Longitudinis autem iuxta unamquamque partem à termino Occidental iusque ad terminum Orientalem.

8. De terra erit ei possessio in Israël: & non depopulabuntur ultra principes populum meum: sed terram dabunt domui Israël secundum tribus eorum.

9. Hac dicit Dominus Deus: Sufficiat vobis principes Israël: iniquitatem & rapinas intermitte, & iudicium & iustitiam facite, separate confinia vestra à populo meo, ait Dominus Deus.

10. Statera iusta, & ephi iustum, & batu*s* iustus erit vobis.

11. Ephi, & batus aequalia, & unius mensura erunt: ut capiat decimam partem cori batus, & decimam partem cori ephi: iuxta mensuram cori erit æqua libratio eorum.

*Exod. 30. 12. * Siclus autem viginti obolos habet. Porro viginti sicli, & vingtiquinque sicli, Levit. 27. & quindecim sicli, manam faciunt.

25. Num. 3. 13. Et ha sunt primitiae, quas tollitis: sextam partem ephi de coro frumenti, & 47. sextam partem ephi de coro hordei.

14. Mensura quoque olei, batus olei, decima pars cori est: & decem bati corum faciunt: quia decem bati implent corum.

15. Et arietem unum de grege ducentorum de his, quæ nutrunt Israël in sacrificium, & in holocaustum, & in pacifica, ad expiandum pro eis, ait Dominus Deus.

16. Omnis populus terræ tenebitur primitiis his principi in Israël.

17. Et super principem erunt holocausta, & sacrificium, & libamina in solemnitatibus, & in Calendis, & in Sabbatis, & in universis solemnitatibus domus Israël: ipse faciet pro peccato sacrificium, & holocaustum, & pacifica ad expiandum pro domo Israël.

18. Hac dicit Dominus Deus: In primo mense, una mensis sumes vitulum de armento immaculatum, & expiabis sanctuarium.

19. Et toller sacerdos de sanguine quod erit pro peccato: & ponet in postibus do-

mūs, & in quatuor angulis crepidinis altaris, & in postibus portæ atrij interioris.

20. Et sic facies in septima mensis pro unoquoque, qui ignoravit, & errore deceptus est, & expiabis pro domo.

21. In primo mense, quartadecima die mensis erit vobis Paschæ solemnitas: septem diebus azyma comedentur.

22. Et faciet princeps in die illa pro se, & pro universo populo terræ, vitulum pro peccato.

23. Et in septem dierum solemnitate faciet holocaustum Domino septem vitulos, & septem arietes immaculatos quotidie septem diebus: & pro peccato hircum caprarium quotidie.

24. Et sacrificium ephi per vitulum, & ephi per arietem faciet: & olei hin per singula ephi.

25. Septimo mense, quintadecima die mensis in solemnitate faciet sicut supra dicta sunt per septem dies: tam pro peccato, quam pro holocausto, & in sacrificio, & in oleo.

C A P U T X L V I .

Porta solis Sabbatis ac Calendis aperienda, & quæ holocausta bis diebus offeret principes, quæ porta ipse aut populus templum ingreditur, vel egredietur: de spontaneo & quotidiano principis holocausto: de ipsis dono filiis aut servis dato: loca in quibus sacerdotes coquunt sacrificia & ministri victimas populi.

1. **H**æc dicit Dominus Deus: Porta atrij interioris, quæ respicit ad Orientem, erit clausa sex diebus, in quibus opus fit: die autem Sabbati aperietur, sed & in die Calendarum aperietur.

2. Et intrabit princeps per viam vestibuli porte dexteris, & stabit in limine portæ: & facient sacerdotes holocaustum eius, & pacifica eius: & adorabit super limen portæ, & egredietur: porta autem non claudetur usque ad vesperam.

3. Et adorabit populus terræ ad ostium portæ illius in Sabbatis, & in Calendis coram Domino.

4. Holocaustum autem hoc offeret principes Domino: in die Sabbati sex agnos immaculatos, & arietem immaculatum.

5. Et sacrificium ephi per arietem: in agnis autem sacrificium quod dederit manus eius: & olei hin per singula ephi.

6. In die autem Calendarum vitulum de

ar-

armento immaculatum: & sex agni, & arietes immaculati erunt.

7. Et ephi per vitulum, ephi quoque per arietem faciet sacrificium: de agnis autem, sicut invenerit manus eius: & olei hin per singula ephi.

8. Cùmque ingressurus est princeps, per viam vestibuli portæ ingrediatur, & per eandem viam exeat.

9. Et cùm intrabit populus terræ in conspectu Domini in solemnitatibus: qui ingreditur per portam Aquilonis, ut adoret, egrediatur per viam portæ Meridianæ: porro qui ingreditur per viam portæ Meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis: non revertetur per viam portæ, per quam ingressus est, sed è regione illius egredietur.

10. Princeps autem in medio eorum cum ingredientibus ingreditur, & cum egreditibus egredietur.

11. Et in nundinis, & in solemnitatibus erit sacrificium ephi per vitulum, & ephi per arietem: agnis autem erit sacrificium sicut invenerit manus eius: & olei hin per singula ephi.

12. Cùm autem fecerit princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino: aperietur ei porta, quæ respicit ad Orientem, & faciet holocaustum suum, & pacifica sua, sicut fieri solet in die sabbati: & egredietur, claudeturque porta postquam exierit.

13. Et agnum eiusdem anni immaculatum faciet holocaustum quotidie Domino: semper manè faciet illud.

*Vox cata
Graeca est.
Significat.
ergo xata
mane per
singula
mane, Gal-
lice, cha-
que matin,
Hispanicè
cada ma-
ñana, sic
infra.

14. Et faciet sacrificium super eo cata * manè manè sextam partem ephi, & de oleo tertiam partem hin, ut misceatur simile: sacrificium Domino legitimum, iuge atque perpetuum.

15. Faciet agnum, & sacrificium, & oleum cata manè manè: holocaustum semipernum.

16. Hac dicit Dominus Deus: Si dederit princeps donum alicui de filiis suis: hereditas eius, filiorum suorum erit, possebunt eam hereditariè.

17. Si autem dederit legatum de hereditate sua uni servorum suorum, erit illius usque ad annum remissionis, & revertetur ad principem: hereditas autem eius, filii eius erit.

18. Et non accipiet princeps de hereditate populi per violentiam, & de possessione eorum: sed de possessione sua hereditatem dabit filii suis: ut non dispergatur po-

pulus meus unusquisque à possessione sua.

19. Et introduxit me per ingressum, qui erat ex latere portæ, in gazophylacia sanctuarij ad sacerdotes, quæ respiciebant ad Aquilonem: & erat ibi locus vergens ad Occidentem.

20. Et dixit ad me: Iste est locus ubi coquent sacerdotes pro peccato, & pro delicto: ubi coquent sacrificium, ut non efferant in atrium exterius, & sanctifice tur populus.

21. Et eduxit me in atrium exterius, & circumduxit me per quatuor angulos atrij: & ecce atrium erat in angulo atrij, atriola singula per angulos atrij.

22. In quatuor angulis atrij atriola disposita, quadraginta cubitorum per longum, & triginta per latum: mensuræ unius quatuor erant.

23. Et paries per circutum ambiens quatuor atriola: & culinæ fabricatae erant subter porticus per gyrum.

24. Et dixit ad me: Hac est domus culinarum, in qua coquent ministri domus Domini victimas populi.

C A P U T X L V I I .

Aqua subter limen domus egredientes, & in latus templi dextrum descendentes, efficiunt torrens, qui tandem non potest trans vadare, & sanat omnia ad quæ pertigerit, habens pisces & arbores fructiferas: termini Terra sanctæ, que duodecim tribus Israël & adversis dividenda est.

1. **E**T convertit me ad portam domus, & ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem: facies enim domus respiciebat ad Orientem: aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad Meridiem altaris.

2. Et eduxit me per viam portæ Aquilonis, & convertit me ad viam foras portam exteriorem, viam quæ respiciebat ad Orientem: & ecce aquæ redundantes à latere dextro.

3. Cùm egredieretur vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu sua, & mensus est mille cubitos: & traduxit me per aquam usque ad talos.

4. Rursumque mensus est mille, & traduxit me per aquam usque ad genua:

5. & mensus est mille, & traduxit me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille, torrentem, quem non potui pertransire: quoniam intumuerant aquæ pro-

Bbbb 3 fun-

fundi torrentis, qui non potest transversari.

6. Et dixit ad me: Certe vidisti fili hominis. Et eduxit me, & convertit ad ripam torrentis.

7. Cùmque me convertisse, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex utraque parte.

8. Et ait ad me: Aquæ istæ, quæ egrediuntur ad tumulos fabuli Orientalis, & descendunt ad plana deserti, intrabunt maræ, & exhibunt, & sanabuntur aquæ.

9. Et omnis anima vivens, quæ serpit, quocumque venerit torrens, vivet: & erunt pisces multi satis postquam venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur & vivent orania, ad quæ venerit torrens.

10. Et stabant super illas pescatores, ab Engaddi usque ad Engallim siccatio sanguinum erit: plurimæ species erunt piscium eius, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiae:

11. in littoribus autem eius, & in palustribus non sanabuntur, quia in salinas dabuntur.

12. Et super torrentem orietur in ripis eius ex utraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, & non deficit fructus eius: per singulos menses afferet primitiva, quia aquæ eius de sanctuario egredientur: & erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam.

13. Hæc dicit Dominus Deus: Hic est terminus, in quo possidebitis terram in duodecim tribibus Israël: quia Ioseph duplum funiculum habet.

14. Possidebitis autem eam singuli æquè ut frater suus: super quam levavi manum meam ut darem patribus vestris: & cadet terra hæc vobis in possessionem.

15. Hic est autem terminus terræ: ad plagam Septentrionalem à mari magno via Herhalon, venientibus Sedada,

16. Emath, Berotha, Sabarim, quæ est inter terminum Damasci & confinium Emath, domus Tichon, quæ est iuxta terminum Auran.

17. Et erit terminus à Mari usque ad atrium Enon terminus Damasci, & ab Aquilonem ad Aquilonem: terminus Emath plaga Septentrionalis.

18. Porro plaga Orientalis de medio Auran, & de medio Damasci, & de medio Galaad, & de medio terra Israël, Iordanis disternans ad mare Orientale, metiunt etiam plagam Orientalem.

19. Plaga autem australis meridiana à

Thamar usque ad aquas contradictionis Cades: & torrens usque ad mare magnum: & hæc est plaga ad Meridiem australis.

20. Et plaga Maris, mare magnum à confinio per directum, donec venias Emath: hæc est plaga Maris.

21. Et dividetis terram istam vobis per tribus Israël:

22. & mittetis eam in hereditatem vobis, & advenis, qui accesserint ad vos, qui genuerint filios in medio vestrum: & erunt vobis sicut indigenæ inter filios Israël: vobiscum divident possessionem in medio tribuum Israël.

23. In tribu autem quacumque fuerit advena, ibi dabitis possessionem illi, ait Dominus Deus.

C A P U T X L V I I I .

*Divisio terra sancta in duodecim tribus: ubi
sint primitæ & sanctuarium: locus Sa-
cerdotum ac Levitarum: mensura civi-
tatis in quadro cum suburbanis: posse-
sio principis: & duodecim portæ civitatis
iuxta duodecim tribus.*

1. ET hæc nomina tribuum à finibus Aquilonis iuxta viam Hethalon pergentibus Emath, atrium Enan terminus Damasci ad Aquilonem iuxta viam Emath. Et erit ei plaga Orientalis Mare, Dan una.

2. Et super terminum Dan, à plaga Orientali usque ad plagam Maris, Afer una:

3. & super terminum Afer, à plaga Orientali usque ad plagam Maris, Nephthali una.

4. Et super terminum Nephthali, à plaga Orientali usque ad plagam Maris, Manasse una.

5. Et super terminum Manasse, à plaga Orientali usque ad plagam Maris, Ephraim una.

6. Et super terminum Ephraim à plaga Orientali usque ad plagam Maris, Ruben una.

7. Et super terminum Ruben, à plaga Orientali usque ad plagam Maris, Iuda una.

8. Et super terminum Iuda, à plaga Orientali usque ad plagam Maris, erunt primitæ, quas separabis, vigintiquinque millibus latitudinis & longitudinis, sicut singulæ partes à plaga Orientali usque ad plagam Maris: & erit sanctuarium in medio eius.

9. Pri-

9. Primitæ, quas separabis Domino: longitudine vigintiquinque millibus, & latitudine decem millibus.

10. Hæc autem erunt primitæ sanctuarij sacerdotum: ad Aquilonem longitudinis vigintiquinque millia, & ad Mare latitudinis decem millia, sed & ad Orientem latitudinis decem millia, & ad Meridiem longitudinis vigintiquinque millia: & erit sanctuarium Domini in medio eius.

11. Sacerdotibus sanctuarium erit de filiis Sadoc, qui custodierunt ceremonias meas, & non erraverunt cum errarent filii Israël, sicut erraverunt & Levitæ.

12. Et erunt eis primitæ de primitiis terræ sanctum sanctorum, iuxta terminum Levitarum.

13. Sed & Levitis similiter iuxta fines sacerdotum vigintiquinque millia longitudinis, & latitudinis decem millia. Omnis longitudine viginti & quinque millia, & latitudine decem millium.

14. Et non venundabunt ex eo, neque mutabunt, neque transferentur primitæ terræ, quia sanctificatae sunt Domino.

15. Quinque millia autem quæ supersunt in latitudine per vigintiquinque millia, profana erunt urbis in habitaculum, & in suburbana: & erit civitas in medio eius.

16. Et hæc mensuræ eius: ad plagam Septentrionalem quingenta & quatuor millia: & ad plagam Meridianam, quingenta & quatuor millia: & ad plagam Orientalem, quingenta & quatuor millia: & ad plagam Occidentalem, quingenta & quatuor millia.

17. Erunt autem suburbana civitatis ad Aquilonem ducenta quinquaginta, & ad Meridiem ducenta quinquaginta, & ad Orientem ducenta quinquaginta, & ad Mare ducenta quinquaginta.

18. Quod autem reliquum fuerit in longitudine secundum primitias sanctuarij, decem millia in Orientem, & decem millia in Occidentem, erunt sicut primitæ sanctuarij: & erunt fruges eius in panes his, qui servient civitati.

19. Servientes autem civitati, operabuntur ex omnibus tribibus Israël.

20. Omnes primitæ, vigintiquinque millium, per vigintiquinque millia in quadratum, separabuntur in primitias sanctuarij, & in possessionem civitatis.

21. Quod autem reliquum fuerit, principis erit ex omni parte primitiarum san-

ctuarij, & possessionis civitatis è regione vigintiquinque millium primitiarum usque ad terminum Orientalem: sed & ad Mare è regione vigintiquinque millium usque ad terminum maris, similiter in partibus principis erit: & erunt primitæ sanctuarij, & sanctuarium templi in medio eius.

22. De possessione autem Levitarum, & de possessione civitatis in medio partium principis: erit inter terminum Iuda, & inter terminum Beniamin, & ad principem pertinebit.

23. Et reliquis tribus: A plaga Orientali usque ad plagam Occidentalem, Beniamin una.

24. Et contra terminum Beniamin, à plaga Orientali usque ad plagam Occidentalem, Simeon una.

25. Et super terminum Simeonis, à plaga Orientali usque ad plagam Occidentalem, Issachar una.

26. Et super terminum Issachar, à plaga Orientali usque ad plagam Occidentalem, Zabulon una.

27. Et super terminum Zabulon, à plaga Orientali usque ad plagam Maris, Gad una.

28. Et super terminum Gad, ad plagam Austris in Meridie: & erit finis de Thamar usque ad aquas contradictionis Cades, hereditas contra mare magnum.

29. Hæc est terra, quam mittetis in formam tribus Israël: & hæc partitiones eorum, ait Dominus Deus.

30. Et hi egressus civitatis: A plaga Septentrionali quingentos & quatuor millia mensurabis.

31. Et portæ civitatis ex nominibus tribuum Israël, portæ tres à Septentrione, porta Ruben una, porta Iuda una, porta Levi una.

32. Et ad plagam Orientalem, quingentos & quatuor millia: & portæ tres, porta Ioseph una, porta Beniamin una, porta Dan una.

33. Et ad plagam Meridianam, quingentos & quatuor millia metieris: & portæ tres, porta Simeonis una, porta Issachar una, porta Zabulon una.

34. Et ad plagam Occidentalem, quingentos & quatuor millia, & portæ eorum tres, porta Gad una, porta Aser una, porta Nephthali una.

35. Per circutum, decem & octo millia: & nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem.